



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

2 De actione eiusdem circa ea, quæ conueniunt personæ ratione animæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

*Matt. 13.* sonā retulerunt, cum apud Matthæū dice-  
*Mar. 6.* rent. *Nonne hic est fabri filius?* & apud Marc.  
*Nonne hic est FABER?* de iplo Christo vide-  
 rant enim illum cum Iosepho, antequam  
 Apostolos colligeret, domi laborantem.

MVLTa ex his obseruauit quoque S.  
 AMBROSIVS in Lucam, cum puer Iesus  
 oblatus est in templo. *Non solum*, inquit,  
*ab angelis & prophetis, à parentibus & pasto-*  
*ribus, sed etiam à senioribus & iustis generatio*  
*Domini accipit testimonium, omnis aetas, &*  
*sterque sexus venturorum miraculorum fi-*  
*dem astruunt. Virgo generat, sterilis parit,*  
*mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus*  
*adorat, sterco clausus Ioannes exultat, viduus*  
*confitetur, iustus expectat.*

*De actione intellectus circa ea qua con-*  
*ueniunt personæ ratione animæ.*

## CAPVT II.

PRIMUM, quod considerari potest in a-  
 nima, est eius natura & substantia. Ea sic  
 potest describi. Est substantia spiritualis,  
 intelligens, immortalis, Dei, eiusq; gloria  
 capax, quæ corpori communicat esse, viue-  
 re, & operari. Et quoniam operationes mul-  
 tæ sunt & variæ, Deus illi concessit faculta-  
 tes vel

res vel potentias, quibus quasi instrumentis operationes exercent. Ac quoniam commune cum angelis habet intelligere, cum bestiis sentire, & cum plantis vegetare, de tribus illis ea tantum perstringam, quæ ad meditandum satis esse possunt.

SECUNDUM est, considerare in anima, qua intelligens est, tres eius potentias. Intellectum, voluntatem, & memoriam. De intellectu, inuestigari potest, sitne quis ingenio acuto, an obtuso, celeri vel tardo, perspicaci an obscuro? si iudicio maturo & graui, an puerili & nullo. Acutos ingenio *Matt. 27.* forte se venditabant Iudæi, quando post adhibitos custodes sepulchrum Domini obsignarunt sigillo: sed præpostero iudicio se esse, declararunt, quâdo custodibus mandarunt, vt dicerent ab Apostolis corpus Domini ipsis dormientibus sublatum. Qua de re egregiè illos irridet B. Augustinus in psalmum 63. *Dormientes testes adhibes. Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando falsa fecisti.*

TERTIUM est considerare actiones eius, qua sentiens est. vbi primo spectandæ sunt eæ quæ sunt potentiarum interiorum, vt sensus communis, phantasiæ, cogitatiuæ, & memoriæ sensitiuæ, & adhæc quæ sensu exteriororū. Secundo spectandæ sunt potētiæ appeti-

appetitiuæ, vt concupiscibilis cum suis actionibus in bonum vergentibus, Amore scilicet, desiderio, & delectatione: & aliis tribus in malum tendentibus, vt Odio, Fuga, & Tristitia. Deinde Irascibilis cū suis binis actibus bonum attinentibus, vel Spe & Desperatione, & duabus item malum spectantibus, Audacia & Timore, ac demum contra illud ipsum ira. Tertio spectanda est & potentia motiua secundum locum, cuius vi quodq; membrum sigillatim, ac etiam totū corpus mouetur de loco in locū.

QUARTVM est, considerare actiones eius, qua vegetans est, nam & actiones animæ vegetatiuæ exercet. Prima autem eius virtus est nutritiua, quæ tres alias habet velut ministras, attractiuam, digestiuam, & expulsiuam. Altera virtus est Augmentatiua. tertia verò Generatiua, quibus etiam dicte tres ministræ ancillantur. In meditatione ergo ob oculos habere potes, nunc vnam, nunc aliam, prout materia postulabit. Exempli causa, si incidat aliquid meditandum de Pilato, obseruare potes, cui passioni Appetitus sensitiui fuerit obnoxias, & apprehendes, quod Timori, cum dicat S. Ioannes c. 19. *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.* Eodem modo inquirere potes alias. De